Quarum continentiam primo secundum historiam pertractemus ut post hoc etiam
ad spiritalem sensum possimus ascendere: Domus quedam sunt in urbibus mura
tis quedam in uicis uel agris. non habentibus muros: Ait ergo ut si in ciuitate mura
ta uendiderit quis domum per annum integrum habeat copiam redimendi:
Post annum uero potestas recuperandi nulla conceditur erit enim inquid
domus ipsius emptori certa possessio si intra annum liberare eam non potuerit
qui distraxit: Secunda lex erat si domus que distracta est in uico fuerit qui mu
rum non habet cui tamen uico ager adiacet liceat uenditori: Et post annum et
quando cumque potuerit restituere pretium et recuperare quam distraxerat domum:
Tertia lex est ut si forte domus sit leuite uel sacerdotis ubicumque fuerit talis do
mus siue in ciuitate murata siue in uico cui murus non est licet semper et in om
ni tempore: ut quando cumque potuerit leuita uel sacerdos redemat domum suam:
nec umquam sacerdotalem uel leuiticam possessionem confirmari in alio
qui non sit eiusdem ordinis diuina iura permittunt: Iste sunt ergo leges quibus ute
batur populus ille prior etiam secundum hoc ipsum quod per historiam designat
relegiose satis et pie. sacerdotalibus uel leuiticis ordinibus consulentes: Sed cum
haec referamus ad nos quibus lex Christi si eam sequimur nec possessiones in terra
nec in urbibus domus habere permittit: Et quid dico domus nec plures tunicas
nec multam concedit possidere pecuniam: Habentes enim inquid uictum et ues
timentum his contenti simus: Quomodo ergo nos dictas de domibus siue intra
ciuitatem muratam positas siue in uicis quibus muri non sunt obseruabimus leges:
Inuenimus in aliis scripture locis: quod sermo diuinus maiore quodam sacramento
nominet domum ut cum dicit de Iacob et quasi pro laude eius ponit: Erat enim in
quid Iacob homo simplex habitans domum: Et iterum inuenio obsetricibus hebreorum
scriptum: et quia timebant dominum obsetrices fecerunt sibi domus: Uidemus
ergo quod obsetricibus quidem faciendarum domorum causa fuerit timor dei:
Iacob uero simplicitas et innocentia causam dederit ut habitaret domum: denique
et Esau quia malus fuit non est scriptum de eo quia habitauerit domum: nec de
alio aliquo scriptum est quia edificauerit sibi domum qui non habuerit timorem dei:
Que est ergo ista domus et quale edificium est: Paulus apostolus exponit aptius cum dicit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0546